



# COSMOLOGIA

S I V E

## DESCRIPTIO MUNDI.

SECT. I.

*De Mundo secundum partes integrantes spectato.*

CAP. I.

*De Mundo sublunari.*

§. I.



Intervallum istud patentissimum, in quo, tanquam in exceptorio quodam immoto, maximeque pervio, mobilia quaecunque diffusa vel disseminata situs & motus suos exercere supponuntur, *Spatium mundanum* vulgò dici solet.

§. 2. Et diffusa quidem continuo per hoc spatium tractu concipitur *Aura*, quæ dicitur, *Ætherea*, subtilissimis moleculis liquorem fluidissimum constituens, per quem totius mundi membra inter se communicant.

§. 3. Disseminata verò per Auram ætheream in spatio fluentem deprehenduntur *Corpora*, quæ dicimus *Mundana*, h. e. corpora compacta certis interstitiis inter se diffita, & sic Auræ cœlesti seorsim s. discretim involuta, ut sunt Terra nostra pro se, & Stellæ sigillatim sumtæ, quæ tanquam membra corporis solidiora veluti sceleton & ossaturam totius Mundi, sed discretam, constituunt.

§. 4. TERRA est corpus mundanum, ex tellure & aqua, sparsim interjecto igne, compactum, & aëre tanquam lanugine vestigum, hominum commune diversorium.

A

§. 5. Omnes